



CAPUT XIV.

De Examine Conscientiæ.

QUæ dicitis in cordibus vestris, in cubiculis vestris compungimini. *Psal. 4.* Describitur Examen conscientiæ, quod sit vitæ actionumq; nostrarum recognitio, æstimatio, & expensio ad finem vocationis nostræ directæ ad eas corrigendas. Utilitas ejus multiplex est. *Primò* enim errores admissos per contritionem retractat, hominemque DEO reconciliat. *Secundo* per novum propositum mentem con-

fortat in futurum. *Tertio*, hominem ducit in veram & genuinam sui ipsius cognitionem. *Quarto* prudentiam parit in Spiritualibus & experientiam: *Consilium enim futuri venit ex prae-rito*, ut ait Seneca.

Dividitur autem Examē Conscientiæ in *Generale*, quod pro materiâ habet omnes actiones, errores & defectus ab ultimo tempore facti examinis admisso: & in *Particulare*, quod vitium aliquod in particulari extirpandum respicit. Prius consistit in Quatuor potissimum punctis: Primum, est petitio gratiæ ac luminis à DEO ad reperiendos defectus & peccata, in quæ pro-

prolapsi sumus. *Secundum*, est exactio rationis de cogitationibus, verbis & operibus, ab ultimo examine admissis. *Tertium*, est dolor de peccatis, si quæ deprehensa sint; vel gratiarum actio, si ab illis fuerimus præservati. *Quartum* denique Punctum est Propositum emendationis de futuro & conclusio totius examinis per brevem aliquam orationem. Generali examini teste Alphonso Rodericio *p. 1. tract. 7. c. 10. n. 3.* subjungitur *Particulare*, cujus hæc est praxis: Primò in eligenda materia alijus vitij extirpandi habenda est ratio gravitatis & universalitatis, ut semper ante omnia laboremus eradicare illud, quod

cæteris graviùs, & aliorum vitiorum fons atque Caput esse solet. *Secundò* necesse est in unoquoque vitio distingui gradus, ut non uno voluntatis nisu sive conatu totum vitium in suâ generalitate oppugnemus, sed ab uno actu ad alterum gradatim procedamus. *Tertiò* numerus quotidianorum lapsuum scripto annotari debet, & tempus matutinum cum pomeridiano, dies cum die, mensis cum mense conferri, ut quantum profecerimus, faciliùs dignosci queat. *Quarto* non facilè mutanda est particularis Examinis materia, sed tãdiu uni vitio oppugnando insistendum, quoad usq; planè devictum fuerit & superatum. *Quintò*

tò posteaquam lapsos nos esse de-
 prehendimus, statim elicito do-
 lore error est corrigendus, &
 propositum renovandum. *Sextò*
 denique post lapsum semper pœ-
 na aliqua à nobis exigenda est,
 & castigatio voluntaria infligen-
 da. Porro Tempus Conscien-
 tiam examinandi opportunum
 juxta Alphon. Rodericium *p. 1.*
tr. 7. c. 10. n. 2. & 3. M. Avilam
 in audi filia; *c. 62.* Ludovicum
 de Ponte in suo Duce Spirituali
tr. 2. c. 7. §. 5. &c. est Matuti-
 num, Meridianum, & Vesperti-
 num, unde S. Dorotheus *Ser. 11.*
Quo pacto per singulos dies nos ip-
sos purgare, & propemodum ex-
piare debeamus, exactè docuerunt
Majores & Patres nostri, nempe
ut

*ut Vesperis sedulo quisq; perquirat
& investiget, quomodo pertran-
sierit diem illum: rursus mane
examinet, quomodo exegerit no-
ctem illam, & pœnitentiam agat,
& respiscat coram DEO, si quo
pacto (ut fieri potest) peccatum
aliquod admisit.*

CAPUT XV.

De Exercitijs Spirituali- bus.

V*enite seorsim in desertum lo-
cum, & requiescite pusillum*
Marc. 6. Nomine Exercitiorum
 Spiritualium intelligitur hic re-
 collectio sui ipsius per meditatio-
 nes, Spirituales lectiones, ora-
 tiones